



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. An Putatitiè revelatum sit Objectum Fidei Divinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

præstet & ipsum illud nobilius, sit ut præmissæ etiam lumine supernaturali propositæ, possint ad illam Conclusionem concurrere.

ADDO. Cum præmissæ à Conclusionem non nisi præsupponantur tanquam motivum & non tanquam principium effectivum, mera præsuppositio illarum præmissarum, supernaturalitatisque earundem, non potest arguere in præsupponente supernaturalitatem. Certè enim vis sublativa gratiæ supernaturalis, inclusa in peccato, præsupponit gratiam supernaturalem, nec tamen illa ipsa vis, est in peccato supernaturalis; quod etiam ex aliis illustratur. Nam si color in duplici loco ponatur, naturaliter videbitur, & tamen præsupponitur miraculum supernaturale quoad substantiam. Et ratio est: quia non repugnat ut entitas illa, adhuc habeat superantiam omnis creaturæ vel creabilis substantiæ, adeoque supernaturalitatem, licet nonnisi ex suppositione illius, aliqua naturalia oriri possint. præcipuè cum illa præsuppositio, non sit præsuppositio supernaturalis, quæ supernaturalis est, sed quæ convenit in aliqua ratione communi cum naturalibus; ad eum modum quo licet supernaturale intuitivè non possit nosci naturaliter, potest nosci naturaliter, secundum rationes communes.

INSTAT Primò. Electio supernaturalis præsupponens intentionem finis supernaturalis, & ipsa est supernaturalis. Ergò & Conclusio præsupponens præmissas supernaturales.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia datur principium electionis supernaturale, hoc est prudentia supernaturalis, idquè ex doctrina Patrum, quæ non procedit de supernaturalitate Theologiæ: præcipuè cum non exigantur præmissæ, nonnisi lumine supernaturali præsentari.

INSTAT Secundò. De facto natura est elevata ad ordinem supernaturalem, & potest esse Conclusio formalis Theologica, supponens per se præmissas supernaturales. Ergò de facto confertur à Deo auxilium, ad huiusmodi Conclusionem: DEUS enim non denegat connaturalia principia.

RESPONDETUR. Naturam esse quidem elevatam ad ordinem supernaturalem, sed non in omnibus, nec ostenditur, quòd elevata sit ad ordinem supernaturaliter Theologisandi. Cumque Conclusio illa non exigat per se præmissas nonnisi supernaturali lumine præsentandas, etiam si ita præsententur, non erit exigentia ponendæ Conclusionis supernaturalis: quia nec illas præmissas, quæ supernaturales exigebat. Hinc redibit ad statum naturaliter agendi, ne ita multiplicetur modus agendi, non secundum exigentiam. Jam verò, nonnisi, per se exigentia, fundat connaturalitatem. Unde posito, quòd aqua inducatur calor, non est exigentia in aqua & connaturalitas, ut conservetur ille calor, sed reditus ad naturam; ita & in Theo-

logia, non est exigentia ut præmissæ nonnisi lumine supernaturali præsentatæ moveant, idemque redibit intellectus ad Naturam, & Conclusionem naturalem.

INSTAT Tertiò. Tales conclusiones maxime conferre ad tuendam veritatem fidei supernaturalis, cum ex falsitate illarum colligetur, falsitas principiorum.

RESPONDETUR. Etiam Metaphysica deferunt ad tuendam fidem, quæ tamen est naturalis: & non interest ut illa defensio fiat actu supernaturali, cum tota vis defendendi, fundata sit modo procedendi scientificè.

Objicit Quintò. Principium illius Conclusionis, potest esse auxilium supernaturale, imò & ipsa fides: quia etiam habitus influens in intentionem finis, influit in formalem electionem, Conclusio autem est quædam electio.

RESPONDETUR. Possè elici illam Conclusionem, auxilio, non supernaturali, si illud dati, nec Auctoritas nec ratio ostendit. Conclusio & electio eodem modo se habent in genere dependentiæ, sed non in genere Entis & ordinis. Adde Conclusionem illam, non respicere ad æquatè idem objectum cum præmissis, quia innititur bonitati illationis, ad quam non attendunt præmissæ: & insuper non est ratio supernaturalis attendentiæ, ad idem objectum formale.

QUÆSTIO III.

An Putativè revelatum sit Objectum Fidei Divinæ?

HÆC quæstio tractari solet ab aliis, ubi tractant de certitudine Fidei, locum tamen etiam hinc non incommode habet, tanquam opusculum seu non objectum fidei.

DICENDUM est. *Putativè revelatum non posse esse objectum Fidei Divinæ*; hoc est quando aliquis putat etiam invincibili ignorantia deceptus, quòd hoc sit revelatum, & tamen de facto non est revelatum, quantumvis conetur elicere actum fidei, ad illum actum, effectivè non concurrerit habitus fidei Divinæ.

PROBATUR Primò. Conclusio Auctoritate Tridentini Sess. 6. cap. 9. ubi docens neminem sine revelatione posse scire de Confirmatione sui in gratia, prædestinatione, justificatione sui subdit: *Cum nullus scire id valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum*; subesset autem ei falsum, si quod non est revelatum, crederet, quòd sit revelatum.

RESPONDEBIS. Intentionem Tridentini non fuisse, eo loco definire, quòd habitus fidei infuse, non concurrat ad actum cuius objectum est nonnisi putativa revelatio: sed definire, quòd cui non est revelatum de sua verbi gratia justificatione, quòd id non possit credere fide, cui non possit subesse falsum, per quod ipsum supponitur, posse id credere fide, cui possit subesse falsum.

CONTRA, quia quamvis eo loco non fuerit mens Tridentini id definire, sufficit quod id colligi possit, ex verbis illius: agit enim illic de fide Divina, de qua prædicat, quod ei non possit subesse falsum, & quamvis supponat quod id credi posset fidei, cui posset subesse falsum, non tamen supponere potest, id credi posse fidei Divinæ, de quo tamen hic quæritur. Jam autem universaliter de fide, eaque Divina, (quia in subjecta materia) pronuntiavit Tridentinum: quod ei non possit subesse falsum.

PROBATUR Secundò. Non implicat contradictionem talis qualitas, quæ essentialiter deponat, ut concursus illi ad agendum tribuatur à Deo, nonnisi tunc, cum re ipsa, objecto illius Materiali, conjungitur Formale verè. Sed talis est habitus fidei. Ergo implicabit illam versari circa materiale, cui non sit re ipsa conjunctum suum formale. Minor probatur Quia phrasæ Patrum & Concilii appellant fidem esse certissimam, fidem nunquam falli, & enuntiat Augustinus, quod potius vellet dubitare an vivat, quam non ita le habere veritatem, quam in corde audivit, id est credidit: non esset autem habitus certissimus, si falli posset, & putatio formalinoti.

PROBATUR Tertio. Argumento Negativo. Si nihil obstat, non debet in linea certi, deterioris esse sortis fides, præscientia; præcipue cum absolute exaltetur certitudo fidei, supra certitudinem scientiæ, de quo infra. Sed scientia non potest esse principium actus falsi. Ut probatur: quia & esset actus ille scientiæ ut supponitur, & non esset; quia vel nosceret per causam, vel non nosceret per causam. Ergo non esset actus scientiæ: quia scire est noscere per causam: Si nosceret per causam. Ergo, non esset actus falsus; quia cui competit definitio scientiæ, seu non falsi, est non falsum. Cognitio autem per causam, est definitio scientiæ seu non falsi.

Obijciuntur primo Paritates aliquæ.

PRIMA Paritas est. Per nos potest prohiberi actus etiam bonus, & tamen principiari à principio supernaturali. Ergo & assensus putatæ revelationi, poterit principiari ab habitu fidei.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia ex nullo principio colligitur esse determinationem, in aliis principiis supernaturalibus, ne concurrant ad actum supernaturalem, extrinsecè malum. Colligitur autem, esse essentialis determinatio in fide, ne ei subesse possit falsum; adeoque ne innitatur putatiæ revelationi, præcipue cum ille error, foret intrinsecè malus Naturæ intellectuali.

SECUNDA Paritas est. Posita præmissa de fide & alia falsa, non implicat illam præmissam concurrere ad Conclusionem falsam. Ergo nec implicabit concurrere Deum ad assensum

putatæ revelationi. Circa Antecedens discurret Lugo tota sect. 7.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nulum est fundamentum essentialis determinationis in præmissa; secus (ut dictum) de fide. Deinde posita præmissa de fide, non hoc sensu est de fide & supernaturalis, quod debeat in Syllogismo credi nonnisi fide Divinæ: sed quod aliàs sit credibilis fide Divinæ, adeoque adhuc poterit esse naturalis, & quæ naturalis, principia re illum assensum. Deinde, si ex mala intelligentione Præmissæ de Fide, sequitur Conclusio falsa, illa non erit actus fidei in quantum malè intelligitur, adeoque Actus fidei, non concurreret ad falsum. Paulo aliter eandem difficultatem solvit Lugo: dicitque, per Accidens illam præmissam, concurrere ad Conclusionem erroneam. Sed eadem viâ respondent oppositi, quod scilicet per Accidens fides Divina, possit moveri revelatione putatiæ.

TERTIA Paritas est. Quia multæ aliæ virtutes supernaturales, possunt exire in suos actus, circa objecta ratione suâ formali non informatâ: sic verbi gratiâ potest amor Dei amare subsistentiam absolutam omnibus tribus Personis communem, quamvis illa non detur, & obedientia inclinare ad id, quod revera superior non præcepit. Ergo idem dici poterit de fide.

RESPONDETUR. Præter allatam disparitatem, id obstat: quod scilicet habitus alii, si versentur circa objectum re vera, suâ ratione formali non informatum, non agent quidquam contra exigentiam suam essentialem, quæ exigentia alia in illis Habitibus ostendi non potest, nisi quæ sit, versari circa objectum prout propositum: hinc eo casu, non tantum non extrahuntur extra suam formalem rationem, sed operantur secundum illam. Jam autem si habitus fidei concurreret ad assensum putatæ revelationis, extraheretur extra suam exigentiam essentialem, secundum quam petit, ut illi non possit subesse falsum, adeoque ne moveatur putatæ revelatione.

QUARTA Paritas. Prudentia supernaturalis spectat ad intellectum, & potest versari circa objectum, cui non est unita ratio formalis objecti. Quod ipsum probatur: quia dicitur adorandam esse verbi gratiâ hostiam, quantumvis re vera fieri possit, quod non sit consecrata.

RESPONDETUR. Aliud esse prudentiam supernaturalem versari circa objectum cui non sit unita ratio formalis, quam inquit prudentia; & aliud est versari prudentiam, circa objectum cui non est unita ratio formalis aliorum habituum: primum est falsum, secundum verum. Hinc jam disparitas est; quia prudentia, est determinata, nonnisi ad dirigendum actiones secundum circumstantias. hic & nunc. Hinc
(h) si hic

si hic & nunc, secundum regulas virtutis & honestatis, possit hæc Adoratio fieri, dictando illam, non tantum non extraheretur ad hoc, ad quod est determinata: sed exegeret se in sibi debito; quia autem fides est essentialiter determinata non nisi ad assensum certum, si eliceret actum propter putatam revelationem, extraheretur extra suam speciem, & ageret contra suam essentialem determinationem. Rursus prudentia supernaturalis, comparatur cum prudentia naturali, soloque ordine, & in aliquibus, Materia distinguitur. Prudentia autem naturalis, respicit ad hic & nunc, secundum leges iudicii. Jam autem fides proportionatur scientiæ. Sicut ergo scientia nunquam cognoscit falsos; ita nec fides.

QUINTA Paritas est. Non obstante supernaturalitate, possunt alii actus supernaturales fieri ex imperio venialiter malo, ut si aliquis imperet sibi summptionem Eucharistiæ, titulo vanæ gloriæ. Ergo & fides, vitiari poterit vitio falsitatis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia non est colligere essentialem determinationem in casu Antecedentis, quæ habetur in casu Consequentis.

OBJICITUR Secundò. Idem est motivum assensus in utroque casu, nempe revelatio Dei. Ergo in utroque casu, erit idem actus.

RESPONDETUR. Non esse idem motivum in re: putativè enim, & verè revelatum, realiter distinguuntur: sed sunt idem apparenter, sicut color verus & apparens.

INSTATUR Primò. Potest Parochus cum iisdem motivis credibilitatis proponere articulum falsum, cum quibus verum. Ergo & fidelis, ex eodem principio assentiri.

RESPONDETUR. In casu Antecedentis, non potest colligi ulla determinatio essentialis, quæ determinetur Parochus, ne proponat æquè falsum, ac proponit mysterium: & tamen est essentialis determinatio in habitu fidei, ne possit assentiri non revelato.

INSTATUR Secundò. Ille actus, qui non positus, facit hominem hæreticum, positus, facit illum fidelem, est actus positus ab Habitu fidei. Sed si non præberet Petrus assensum revelationi, quam putat esse veram, quantumvis in re sit falsa foret hæreticus. Ergo ponendo illum actum, erit fidelis.

RESPONDETUR. Falsam imprimis esse Majorem, eo, quod pauciora requirantur ad contrahendam infidelitatem, quam ad esse fidelis: nam ex generali principio, malum quale est Infidelitas, est ex singulis defectibus: Fidelitas autem quæ est bonum, est ex integra causa. Deinde illi revelationi dissentiens, non propter id quod formaliter & tanquam Minorem negat, foret hæreticus, sed propter id, quod implicite & tanquam Majorem negat: qui enim pu-

tatiæ revelationi non assentitur, censens illam esse veram, est implicite resolutus, ad non assentiendum Deo dicenti.

INSTATUR Tertiò. Eadem facilitate assentitur aliquis veræ ac putatæ revelationi. Ergo ex eodem habitu.

RESPONDETUR. Consequentiam non tenere: quia habitus fidei infusus, non est facilitativus. Porro ipsa illa facilitas, posset referri in habitum aliquem naturalem acquisitum fidei: posset item referri in species easdem: facilitare tenere se à parte objecti; quæ etiam facerent, ne ita sensibiliter advertat se cum difficultate operari, casu quo non haberet, habitum facilitantem. Deinde forte etiam non sentiret tunc facilitatem, posteaque instructus, discerneret se caruisse illâ; licet dum illam non experiretur, posset id referre, in aliquam tentationem diaboli. Denique dici posset DEUM ut Auctorem Naturæ, suppleturum defectum principii facilitativi, ad occultandum, ne putet homo, in se esse principium discernendæ infallibiliter putativæ revelationis, à vera.

OBJICITUR Tertiò. Ponamus aliquem Judæum ante Christi nativitatem elicientem hunc actum: Credo Christum nascenturum, ponamus rursus continuare hunc actum eundem post Christi nativitatem, hic actus post Christi nativitatem erit falsus, & tamen erit fidei, qui idem actus continuatur.

RESPONDETUR huic Argumento S. Thomas Secundâ Secundæ quæst. 1. art. 3. ad 1. Dicit etiam posset, hunc actum eundem perceptibiliter & secundum nostrum putare fore; quia motivum quod perceptibiliter movet, putaret esse idem in re tamen ipsa, erunt duo distincti actus: & primus quidem supernaturalis, & elicitus ab habitu fidei; secundus autem elicitus viribus naturæ. Addo nihilominus hunc actum; Christus nascetur, etiam in nobis fidelibus, si formetur per ordinem ad illud tempus præteritum, quo verum erat dicere. Christus nondum editus, sed nascetur; per ordinem inquam ad illud tempus, Ly Christus nascetur, etiam à nobis fide Divinâ creditur: quia actus ille per ordinem ad illud tempus, semper est verus: hinc hoc sensu, posset continuari ille supernaturalis actus à Judæis, esseque adhuc verus.

Possibilisne Qualitas supernaturalis attendens ad putatæ revelationem?

ASSERO Primò. Possibilem esse qualitatem attendentem ad putatam revelationem.

RATIO. Tum quia id non implicat. Tum quia possibilis est qualitas, quæ eadem indivisibilis principiet actus fidei; adeoque habeat vires habitus fidei, & insuper sit directiva operationum, præscribendo regulas hic & nunc agendi: ita ut sub hac formalitate, non habeat pro-

pro objecto verum prout est à parte rei, sed verum, prout est in his circumstantiis, licet sub priori formalitate, habeat pro objecto verum, prout est à parte rei. Ergo etiam possibilis erit habitus, attendens & revelationi, veræ & ei, quæ hîc & nunc putatur vera. Et sicut dantur actus voluntatis supernaturales, qui procedunt secundum merita objecti, prout est à parte rei, & simul prout apparet; & alii procedunt secundum merita objecti, non prout est à parte rei, sed prout apparet, ut cum diviti, & tamen mendicanti, eadem misericordia tribuit elemosynam, cum misericordia non possit moveri nisi tunc tantum, quando est miseria: ita ut etiam dictus habitus, non possit assentiri tantum objecto falso, & quod apparet ut falsum, licet possit assentiri objecto, quod putat non esse falsum, sed revelatum; adhuc enim illa qualitas erit virtus, quâ nemo male utatur, hoc est ad falsum credendum, quod ut falsum proponitur, erit etiam dispositio ad optimum in suo genere, hoc est negativè, non inclinando scilicet ad falsum quâ tale, quamvis non sit dispositio ad optimum positivè, hoc est, attingendo perfectionem objecti, prout est à parte rei. Tum quia intellectus non tantum assentitur vero prout est à parte rei; sed etiam vero, prout hîc & nunc apparet. Cur etiam non poterit dari qualitas supernaturalis, habens se per modum potentia intellectiva supernaturalis, quæ attendat ad veram & putatam revelationem.

RESPONDEBIS cum Oviedo cont. 5. à num. 31. Quamvis non possit in hoc puncto assignari repugnantia purè physica, adferri tamen potest Moralis & Theologica: hoc est formaliter relictans ex bonitate & perfectione DEI, licet radicata in natura actus.

CONTRA. Sicut non datur repugnantia moralis, ne actus prudentia supernaturalis, procedat secundum hîc & nunc, licet non semper procedat secundum objectum prout est à parte rei, ita nec in præsentia dabitur ulla repugnantia Moralis.

ASSERO Secundò. *Dictam qualitatem non posse vocari rigoroſè habitum fidei.*

RATIO: quia Ly fides, ex acceptione præsentis Theologica, supponit pro habitu non nisi summè certo.

ASSERO Tertiò. *Talem habitum posse liber aliis loquendo, dici habitum fidei;* quia adhuc uterque respiceret communem eandem, rationem, nempe revelationem ut sic.

Sed ad stabilendum assertum primum solvenda implicantiæ.

PRIMA IMPLICANTIA est: quia & esset ille habitus supernaturalis ut supponitur, & non esset: quia supernaturale, non potest esse principium assensus falsi.

RESPONDETUR. Si per falsum intelligas difforme objecto prout à parte rei spectato, in isto sensu

su falsum est, quod supernaturale non possit esse principium assensus falsi, ut videre est in prudentia supernaturali. Quod si per falsum intelliges nec objecto nec propositioni conforme: Concedi potest Antecedens. Et sicut in Logicis salvatur veritas primæ Operationis, quantumvis apprehendat Angelum per modum juvenis alati: quia scilicet ille conceptus, cum objecto prout apprehenso, habet conformitatem: sic etiam ille assensus erit assensus verus, prout dicit conformitatem secundum hîc & nunc putatam ut veram revelationem.

SECUNDA IMPLICANTIA deduci potest ex Amico (quamvis ille hac in materia suspendat iudicium.) Quod scilicet DEUS, esset causa particularis assensus falsi, & tamen supernaturalis; quia concurreret ad illum assensum, non determinatus à causis secundis.

RESPONDETUR. Implicantiam multum probare, probat enim quod nec DEUS possit esse Auctor supernaturalis prudentia: quia etiam illa est principium assensus falsi, comparatè ad objectum.

TERTIA IMPLICANTIA est ex Lugone citatum. 89. Actus supernaturalis in substantia, non potest esse indifferens, ut sit verus vel non. Ergo nec habitus supernaturalis potest esse indifferens ad verum prout conforme objecto, & verum prout apparens. Antecedens probatur. Quia dicti actus sunt Ordinis Divini, dati ad hoc, ut homo constitutus in ordine Divino, operetur, qualiter decet operari hominem, Divini Ordinis.

RESPONSUM. Implicantiam probare multum: quia probat non esse possibile actus prudentia supernaturalis, qui sint Ordinis Divini, quia etiam hi interdum sunt diffformes, comparatè ad objectum prout est à parte rei. Quod si sufficiat illos esse hoc sensu Ordinis Divini, quia secundum formalitatem suæ Entitatis, habent superantiam cujuscunque naturæ creatæ vel creabilis, licet hanc superantiam non dicant, in modo suo procedendi: in hoc enim superantur à scientia verbi gratia. Ita & in præsentia, idem dici poterit, præcipue autem: quia modus operandi secundum hîc & nunc, non est malum naturæ intellectuales.

INSTABIS Primò. Actus supernaturales sunt tales in sua entitate intrinseca, ut formaliter perficiant hominem, siquidem per illos formaliter elevatur natura, supra propriam Conditionem. Ergo per illos perfici & non deterior reddi debet Natura.

RESPONDETUR. Etiam si prudentia supernaturalis attendat ad hîc & nunc, non redditur deterior per illam naturam: quia etiam attendere ad hîc & nunc, est bonum naturæ intellectuales, ita nec per assensum putatæ revelationi, deterior reddetur natura.

INSTABIS Secundò. Actus supernaturalis voluntaria

luntatis, non potest esse malus intrinsecè, quamvis possit esse malus malitiâ extrinsecâ & denominativâ. Ergo nec actus intellectus supernaturalis, potest esse falsus & erroneus, non enim elevaret, sed deprimeret.

RESPONDETUR. Actum supernaturalem non posse esse falsum & erroneum, si nec sit conformis objecto, nec procedat secundum hunc & nunc; deteriorem enim hominem ut assumitur redderet: sicut semper etiam in naturalibus, deteriorem, error reddit, non reddit prudentia: consequenter nec ille actus fidei deteriorem redderet. Ergo sicut prima operatio, cujus veritas sumitur ex objecto, non prout est à parte

rei, sed prout præsentato, non reddit deteriorem intellectum: ita & in præsentem.

INSTABIS Tertiò. Non potest DEUS producere habitum erroris. Ergo nec dictum habitum.

RESPONDETUR. De Antecedenti inferri erit. Interim disparitas est: quia habitus erroris ut talis, non habet ullum actum, qui importet perfectionem, qui sit in bonum operantis, qui non dedecet specialiter naturam intellectualem. Jam autem habitus ille, etiam assentiens putatæ revelationi, non haberet actum dedecentem naturam intellectualem, sicut illam nec prudentia dedecet.

DISPUTATIO. III.

De Passionibus objecti Fidei Divinæ.

Nomine harum passionum veniunt Certitudo & obscuritas: rationem tamen principalioris habet certitudo; hinc evidenciam permittit sibi truncari fides per motiva credibilitatis, & alia, de quibus infra: summam autem certitudinem non permittit sibi truncari, de qua certitudine *Sit*

QUÆSTIO I.

De Certitudine Fidei,

PRÆMITTO Primò. *Notificari posse certitudinem per contrarii exclusionem;* nempe quod sit assensus formidinis expulsiuus, ad eum modum, quo suo modo notificatur frigus per hoc, quod expellere natum sit calorem. Quæ ipsa formido, involvit semper & assensum & dissensum. Ratio quia si non involveret assensum non esset formido, sed simpliciter & absolute Negatio. Rursus si non involveret dissensum, esset absoluta affirmatio. Qui ipse assensus & dissensus, debet quidem esse circa idem, sed non propter idem. Quod debeat esse circa idem. Ratio est, quia aliàs assensus ille & dissensus, haberent se omnino disparatè, si haberent se disparatè, assensus non restringeret vim dissensus, & e contra. Consequenter assensus, simpliciter esset assensus, simpliciter autem assensus, non est formido. Non tamen dissensus & assensus debent esse circa idem propter idem: quia aliàs in formidine verificarentur duo contradictoria; & idem quod affirmaretur, negaretur, & quod negaretur, affirmaretur;

duo autem contradictoria in nullo assensu possunt, simul secum stare. Porro in ista v. g. formidine, fortassis Petrus non solvet debitum, fortassis solvet, formido illa, non versatur circa potentiam physicam, non solvendi Ratio quia objectum formidinis, est illud, quod est ratio formidandi, potentia autem illa physica, non est ratio formidandi: illud enim non potest esse ratio formidandi, quod cum actu certissimo stare potest. Jam autem qui certo scit, quod sit futura solutio, nescit dari potentiam physicam ad non solvendum, cum liberè solvat. Nec item versatur illa formido penes solutionem & non solutionem, quia aliàs in illa formidine contradictoria verificarentur. Quod ergo tandem erit objectum formidinis? Formido illa versabitur assensu circa objectum quod est futurum vel non futurum, ita ut rationes ipse, quas habet assentiendi, & rationes quas habet non assentiendi, ingrediantur illud Objectum. Ratio quia imprimis in hoc modo assentiendi & dissentiendi, non verificabuntur contradictoria, quia licet sint de eodem, non sunt propter idem, seu ratione ejusdem. Ex altera parte, servatur id quod diximus supra, nempe formidinem circa idem debere versari assensu & dissensu. Et certè bene per hoc salvatur formido, quo sublato, primò & per se tollitur formido, sed sublati rationibus & motivis assentiendi & dissentiendi tolleretur per se formido. Quod ipsum probatur. Quia sublati rationibus assentiendi, & manentibus rationibus